

6449.

30.

B. C. D.

DISSERTATIO JURIDICA

De

Potestate Maritali
Juri civili haud cognita.

Quam

*D.T.O.M. Consensu fctorum Ordinis
in Alma Viadrina,*

PRÆSIDE

DN. DANIELE KOLSHORNIO,

Jur. U. D. & Professore Extraord.

Hospite & Præceptore ad ætatem colendo,

IN AUDITORIO JURIDICO

Die Martii An. 1719. præcise Hora nona

*Placidæ Eruditorum disquisitioni
submittet*

FRIDERICUS WILHELMUS KOCH,

Meso - March. LL. Stud.

Diss. jur. civ.

FRANCOFURTI ad VIADRUM.

Literis JOH. CHRISTOPH. SCHWARTZII.

342, 6

11

DISSERTATIO JURIDICA

DE

POTESTATE MARITALE

IN CIVILI HUND COGNITA

QUAM

DR. O. M. GONZALEZ FORTIS ORDINIS

IN ALMA UNIVERSITATE

PRESIDE

DR. DANIEL EKOLSHORNI

DR. U. D. & PROFESSORE EXTORD.

IN UNIVERSITATE ALMA MATE

IN AUDITORIO JURIDICO

ANNO DOMINI 1805

AVGUSTO

FROBERGUS WILHELMUS KOCH

MEISSNER

VERLAGSSTELLE

IN ALMA UNIVERSITATE

DR. THEODOR SCHWARZ





DISSERTATIONIS
De
POTESTATE MARITALI JURI CIVILI HAUD
COGNITA

SUMMARIA CAPITIS I.

1. *P*otestatis vocabulum quid in jure denotet?
2. *I*psum magistratum sub voce potestatis interdum significari.
3. *I*tidem in Domino servi.
4. *I*n Vocab: potestatis, maxima vis se exerit in imperantibus.
5. *I*n specie quoque in parentibus & quidem verè tantum in patre.
6. *I*llaque potestas fluit ex Jure Naturæ.
7. *R*omani in liberos singularem potestatem habebant, quarum species ibidem recensentur.
8. *O*nus hujus potestatis.
9. *H*anc potestatem juxta multos DD se extendere
itidem in uxorem, eamq; opinionem LL. fundatam esse asserunt.
10. *S*ententia Beckmanni ex Authore Gallico allegatur.
11. *P*ro confirmãda potestate maritali accedit opinio Czovii.
12. *P*robatio aliorum qui ex Bibliorum textu hebraico eam probare conati sunt.
13. *A*b ipso Deo hanc potestatem approbatam esse, ex Num. cap. 30. v. 7. aliisque locis novi testam. apparere videtur.
14. *A*ccedit ipsius Scti magni Nominis Calvinii divisio in Lexico Jurid. qui triplicem potestatem sc. maritalem

lem, patriam & dominicam statuit.

15. *Accedit: uxori actionem injuriarum denegari, si à marito castigata sit.*

16. *Necessitas ipsa potestatem svadere videtur: quia omnes mulieres malas esse statuunt.*

17. *Accedit porro permissio DD. existimantium: mulie-*

rem scil. privata auctoritate è domo expelli posse, si dotem promissam non attulerit: quæ potestas expellendi jurisdict. & potestatem docere videtur.

18. *Uxoris injuriam vir adeo quoque persequi potest, sicut illam; quando filius in potestate existens injuriis afflictus est.*

CAP. I.

De Variis potestatis signification. itemque fundamentis maritalis potestatis præsumtis.

I.



OTESTATIS vocabulum in jure varias significationes sortitum esse, constat. proinde denotat potestas: vel merum imperium seu Jus ad puniendos homines facinerosos; sicut id explicat Ulpianus in L. 3. ff. de jurisd. vel denotat mixtum imperium: cum in magistratum non tantum à principe

facultas collata, ut causas controversas suâ sententia decidat, sed & potestatem judicatum exequendi habeat *conf. illustr. L. B. D. Cocc. ad Lauterb. Jus controversum*

Tit.

Tit. de Jurisd. quest. 5. Hinc ipsum magistratum potestate præditum, *potestatem* appellat *l. 17. S. p. ff. de edil. ed.* Potestas enim communiter in persona magistratus concurrit, quo pertinent *verba L. 1. ff. qd. quisque jur. in al.* ubi Jctus ita loquitur: qui magistratum potestatemve habebit. Alia potestas se exerit in servo atque hodie quædam figura se exerit in colonis & rusticis aliisque hominibus propriis glebæ adscriptis, de quib. vid. *Dn. Præsidis System. § theor. præct. tit. de statu hominum num. 11.* Imo debitorem nostrum privata auctoritate persequi, potestas data & hodie datur. per *L. 10. S. 16. quæ in fraud. cred. add. d. Syst. tit. d. in jus vocando lit. a. not. & L. 1. C. ubi quis de Curial. & cohortal. aliave conditione conveniatur.* in qua hominem ad perpetuam obedientiam obstrictam privata auctoritate capiendi potestas remanet *conf. L. 25. ff. d. adult.* In specie autem POTESTAS PATRIA ex jure naturæ & singular. jure ex LL. Romanorum patet, cum in specie patria potestas tribuat jus imperandi liberis, jus iis præcipiendi, atque præceptis inobedientes castigandi. In tutore & curatore itidem jus civile vocabulo potestatis utitur: sed hæc tutelaris potestas non congruit in totum potestati patriæ. Alia vera POTESTAS ex LL. civilibus eminet, quæ se ex erit in persona imperantis seu in persona Principis omnibus in Republ. superiore: quippe huic imperare subditisque vetare permittitur. Ast præter jura talia Principum & Majestatum, qua superiores in civitate & Republ. fruntur, Magistratus quoque Potestate fruitur atque ideo introducta: quod cum Princeps ubivis ceu unus vir præsens esse nequeat, hi magistratus quoque

cei Dei & Principis ministri ad refrenandam hominum malitiam & unumquemque in justitia conservandum constituti sunt, quo tranquillitas Reipubl. conservetur. Ideoque regulariter præsumtionem pro se habent: quod ceu Dei ministri nihil contra Jus vel dolose facturi sint. Quod & *Apostolus in Ep. ad Rom. c. 13. v. 4.* & *1. Petri c. 2. v. 13.* subinnuit atque magistratum a Deo constitutum esse asserit. Malos magistratus vero non regnare sed servare asserit *Augustinus in Lib. 5. de Civitate Dei.* Hinc Romani de magistratu olim dixerunt: *Ordo vitii caret, cæteris specimen esto, ne malum magistratus exemplum subditos corrumpat.* Præter Potestatem dominicam & imperantem potestas singularis parentibus ceu Diis & directoribus visibilibus in liberos ex justis nuptiis procreatis competere, jam dictum est. In specie vero *vocabulum potestatis* soli patri non ita matri de Jure civili adjudicatur. §. 10. I. de *Adopt.* Quia (1) pater est familiæ caput, qui natura liberis imperat. sicuti Rex subditis *L. 195. d. V. S.* (2) Quia ipsa uxor marito tanquam capitis maritalis Socia in dissenso voto virili cedit, ideo illa æquale jus cum patre in liberos prætere nequit. Dummodo pater per justas nuptias titulum & jus patris acquisiverit: ille enim proprie & solus pater in jure dicitur quem *justæ nuptiæ demonstrant per L. 1. ff. d. in Jus voc.* Ex concubinato vero nati proprie patrem habere non intelliguntur per *L. 19. & L. 24. ff. de statu hominum.* Matrem autem liberos suos in potestate per jus civile non habere, expresse dicitur in *d. §. 10. Inst. de adopt.* nisi quod reverentiam amorem & pietatem concernit, his casibus æquale obsequium matri debetur. *L. 4. ff. de*

de curat. furios. confer. *Num. 6 30. v. 5. Potestatem Patri* 6.
am vero ex ipso jure Naturæ competere respexit.
L. 2. ff. D. Justit. & jure. hinc sicut magistratus sub-
 ditos regit, ita parentes in specie pater, jure sin-
 gularis potestatis ex Jure civ. simul competen-
 tis, liberos suos gubernat. Hæc potestas tamen
 ipsa relative considerata, docet: in hac potestate pa-
 tria juri civili plurimum tribuendum esse per *L. 3.*
de his qu. sui vel alieni juris & *L. f. C. d. patria potestate.*
 In specie jura Romanorum civium propria in hac po- 7.
 testate concurrere ex dictis constat: quia Romani
 immensam & immoderatam in liberos habebant po-
 testatem ita ut (1) haberent jus vitæ & necis in libe-
 ros *L. 11. in fin. ff. d. lib. & posthum. hered. inst.* (2) Pa-
 tri erat permittum premente fame filium vendere
L. 2. C. d. patr. qui fil. dist. quæ L. 2. in Sacris quoque
Exod. 21. v. 7. fundamentum aliquod habet: sed *d. L. 11.*
 speciem infanticidii & homicidii sapit: quia Decalogo
 & juri naturæ adversatur: hinc rigorosum jus civi-
 le antiquum emendatum & in *L. 3. ff. ad L. Pompej.*
d. parricid. talem patrem filium necantem, magis la-
 tronis quam patris jure interficere dicitur: cum pa-
 tria potestas non in atrocitate sed pietate consistere
 debeat (3) *Potestas patris* concurrebat in nuptiis li-
 berorum, eo invito non contrahendorum *L. 2. & 3.*
ff. de Ritu nupt. (4) Scitum improbavit debitum a filio
 contra patris scientiam contractum *tot. Tit. ff. ad Scit.*
Maced. (5) Lucra a filio acquisita præter castrensia
 & quasi castrensia patri non filio cedunt. In specie
 quoque permittebatur & hodie permittitur utrique
 parentum filium immorigerum modice castigare
 vel

vel verberare, quia utrique parentum liberi obedientiam & reverentiam debent. per *L. 2. ff. d. justit. & jure L. 4. ff. d. curat. furios.* item ad corrigendos ejus perversos & corruptos mores conclavi aut carceri eum includere, aut magistratui ad puniendum tradere *L. 3. C. D. patria potest*: imo patri permittitur privata autoritate filium detrudere in ergastulum *vid.*

8. *Besold.* sub voce *Zucht-Hausß.* Huic potestati sane onus simul à natura adjectum: quod pater ad alendos liberos pro modo facultatum cogi possit *L. 5. §. 7. ff. d. agnosc. & as. liber.* cum jus naturæ exigat conservationem sui partus; nobisque ipsis ut exemplum se exerunt bestia, cum nec lupo nec corvo partem suam deserat, sed eundem tamdiu alat, donec partus sibi ipsi de victu prospicere queat.

9. *Æqualitas patriæ potestatis* occurrere videtur in **PERSONA UXORIS**: siquidem marito in domo dominium tribuitur etiam in ipsam matrem-familias allegantque *DD. L. 196 ff. d. V.S.* Imo *Beckmannus in Doctrina juris sub voce maritus ex L. 14. §. 5. ff. solut. matrim.* statuit: quod marito liceat uxorem petulantem aut peccantem castigare, si modo fines in castigando non excedat; eamque sententiam seqq. rationibus propugnat. Quia scil. marito seu familiæ Reſtori & domino concedatur libera potestas corrigendi & emendandi uxorem, sed sub illo temperamento morali, ne in delictis uxoris corrigendis temere peccet; atque simul provocat ad *L. 1. C. d. emend. propriqv.* ubi prohibetur disciplinam domesticam extendere, eamque quasi in atrocitatem sive tyrannidem
10. injuste transvertere. Insuper allegat *Gallum le Maistre*

stre ita loquentem : l'ordre de la nature, la femme est sujette a son mary ce qui eut esté dans l' Estat d'innocence & ce qui est encore depuis le peché ! mais le commendement, qu' un mari a sur sa femme, n'est pas souverain comme celui du pere sur ses enfans : mais seulement politique, comme celui du magistrat sur ses citoyens, & qu'il n'ya, que les tartares (c'est a dire) ceux qui sont naturellement esclaves, qui les traitent comme des esclaves. Latine sic transvertitur. Juxta naturæ legem uxor mariti imperio subiecta est, quod tam in statu innocentia quam post primorum parentum lapsum semper est observatum: sed imperium illud maritale marito in uxorem competens, non adeo absolutum est, quam paternum in liberos, sed est saltim politicum: sicuti illud quod magistratus in cives habet atque exercet: quod absoluto & barbarico imperio non est simile, hoc est quod subditos suos qui natura sunt mancipia, mancipiorum instar tractet. Poëta ejusdem imo deterioris opinionis esse videtur qui dicit: hæc tria (scil.

Nux asinus mulier simili sunt lege ligati,

Hæc tria nil recte faciunt si verbera cessent.

Ad hanc potestatem colorandam DD. porro adjiciunt: II. quod uxor operas marito debeat *Carpz. P. 3. Const. 25. Def. 8. num. 5.* & quidem eatenus ut omnia bona ab ea acquisita ad solum maritum tanquam ad principem & caput familiæ pertineant: cum concedendum non sit, inter conjuges societatis negotiationem contrahi: sed si quæ inter eos est, absque dubio erit solius habitationis societas: idque d. *Carpz.* probat ex *Can. 17. Caus. 27. quest. 2.* ne contraria sententia inter conju-

B

ges

ges separationem inducat, & ex una duas famili-
 as faciat, vel quod est longe absurdiusquæ vir gessit
 & administravit, rationibus uxoris inferatur. Cum
 itaque uxor marito operas debeat non ex societate,
 sed ei hæc ceu principi debeat; ergo eminens potestatis
 concurrere videtur *item d. Carpz. P. 2. c. 13. d. 15.* cla-
 re docet: quod statim post nuptias mulier in potesta-
 12. tem & tutelam mariti transeat. Ali Allegant di-
 ctum Hæbraicum: ubi Deus in creatione hominis
 solitudinem hominis, ut malum aliquod respexit, a-
 deoque quia in Bibliis hæbraicis extat. לא טוב היות
 לבדו Non bonum esse, quod homo solus,
 verbum לבדו *solus* autem dicunt quod oriatur ex ver-
 bo עבד quod servum significat adeoque & ita argu-
 mentari liceat. Non bonum hominem esse לבדו
 יהי זמני אנהי / creabo ipsi עזר adjutorium, ceu
 talem personam, quæ adjuvando vicibus servi fungi-
 tur. Porro accedit: quod ipse Deus *Potestatem marita-*
lem respexerit, dum *Numeri cap. 30. v. 7.* ita loquitur:
 Quod si (filia) viro nupserit & vota voverit aut pro-
 tulerit ex labiis suis aliquid, quo obligaverit mulier ani-
 mæ suam, & audiverit vir ejus, & die qua audiverit ta-
 cuerit ei, stabilia erunt vota ejus, & obligatio ejus qua
 obstrinxerit animæ suæ stabilis erit: Si vero die qua audi-
 vit vir ejus, irritum fecerit, illud tunc irritum red-
 det votum illius, quod vovit & quod protulit ex labiis
 suis quo obstrinxerat animam suam. Et Jehovah par-
 cet ei: omne autem votum viduæ & repudiatæ, quo
 obligaverit animam suam, firmum erit. Imo statim
 in principio creationis dominium mariti post lapsum
 Evæ

Evæ Deus indicabat *Genes. cap. 3. v. 16.* in fine ubi
 יהוה ימשל בך & ille (maritus) dominabitur tibi. German.
 Luth. interpretatus est *Er soll dein Herr seyn.* Huic ac-
 cedunt dicta novioris testamenti *Apost. Paul. ad Rom.*
cap. 7. § 1. Corinth. c. 7. ubi LL. mariti uxor dicitur li-
 gata & ad *Ephes. cap. 5.* subjectionem â mulieribus con-
 tendit Apostolus: item ad *Coloss. 3. § 2. Cor. 11.* virum ca-
 put mulieris esse dicitur. Ipso facto quoque Saram
 vetulam *Genes. cap. 18.* Abrahamum in mente Domi-
 num suum vocasse atque ideo verum dominum & po-
 testatem mariti ipsam Saram jam respexisse. 13.

Ipsi Jcti inter quos Calvinus magni nominis, in Lexi-
 co juridico sub voce *potestas*, Familiæ distinguit potesta-
 tem in tres partes dicendo: Primam esse *in marito & uxore*
secundam in parentibus & liberis tertiam in dominis & ser-
vis. Atque ideo *Nicolaus Carbo* in *Practica Practica-* 14.
rum Lib. 2. c. 2. n. 59. statuit quod si uxor a marito a-
 trociter verberata esset, illa contra maritum actio-
 ne injuriarum agere non posset, sed actione in fa-
 ctum: allegatque Authores, qui tenent: quod ma-
 ritus etiam sine causa uxorem impune verberare
 possit, dummodo modice & non sæviter. *B. Stryk.* in
Dissert. de Alapa itidem defendit, licite uxori posse da-
 ri alapas *a num. 6. ad 10.* Ejusdem opinionis esse vide- 15.
 tur *Matth. Gribald. in Comm. ad præcip. Juris tit.* qui sta-
 tim in *1. quæst. d. Orig. dotis* rationem dotis constituen-
 dæ allegat, dicendo: Constat mulierem ingens esse
 malum, quod pater a se progenitum, ut in aliam
 propellat potestatem, pretiodato cogitur detrudere.
 Hinc officii paterni esse porro judicat, ac pro ratio-
 ne allegat; *Necessariam esse ideo dotare filiam, & median-*

te mercede, domo illam extrudere, idque ex L. 14. ff. d. Ritu nupt. probare suscipit. Alteram rationem proferendo pergit: Quod omnis mulier mala, & ideo mali, qui ab iis procreantur. Quicquid enim ab infecta radice progreditur, in infinitum est debile. ob L. f. C. de natur. lib. vel sicut Poëta loquitur

Fœmina nulla bona est, aut si contingerit ulla.

Nescio quo fato res mala facta bona est:

- Pythagoras itaque interrogatus, quare filiam suam inimico nuptam dedisset? respondit ipse: *quia nihil dare poteram deterius.* Talia fœmineo sexui injuriosa ubi vis inveniuntur: Sed ea allegare fere erubescendum est. **16.** Accedit tamen ex LL. licentia, uxorem privata autoritate e domo expellendi, si dotem promissam non attulerit, sicut multis rationibus glossam hujus tenoris existisse refert *Mantica d. tacit. & ambig. convent. Lib. 12. Tit. 17. num. 2. seqq.* ubi autem potestas talem speciem jurisdict. sapiens occurrit, ibi necessario potestatem concurrere dicendum erit. Imo lex est notoria, quæ uxoricidium in causa adulterii subsecutum, pœna mitiori, exilii v. g. saltim afficit: uti patet ex *L. 24. pr. ff. & l. 4. C. de adulter.* Nuspiam vero à contrario id permittitur uxori *d. L. 24.*
- 17.** Porro notorium est: uxoris injuriatæ injuriam, ipsum maritum adeo vindicare posse, ac si filius in potestate existens injuriatus sit. per *L. 1. §. pen. ff. de injur.* Hinc argumento ejus potestatis, speciem potestatis in uxorem itidem apparere videtur; siquidem in super uxor non injuriatur per injuriam marito illatam, sed maritus saltim per uxorem *L. 2. ff. eod. tit.* Imo si uxor maritum verberaverit, propter hanc injuriam

juriam marito actione noxali tenetur. per L. 27. §. 30. d. t. non ita maritum teneri uxori, ex L. 48. ff. d. oper. libert. DD. colligunt; sed saltem maritum extra ordinem puniendum esse ex Nov. 117. cap. 14. probat Carpz P. 1. quæst. 12. num. 51.

SUMMARIA CAPITIS II.

- | | |
|--|--|
| <p>1. <i>Us saltim distinguit inter potestatem dominicam & patriam.</i></p> <p>4. <i>Potestas parentum in liberos loco exempli adhibita & collatio ejus facta.</i></p> <p>5. <i>Sensus LL obstantium quas DD. pro Sententia potestatis maritalis allegant.</i></p> <p>6. <i>In specie de Novella 117. c. 14. plurimum faciente.</i></p> <p>7. <i>An sub sola prohibitione fustium & flagellorum, eo ipso alius levior modus castigandi concessus sit?</i></p> <p>8. <i>An conniventia magistratus in verberata Xantippe ideo jus potestatis in alias honestas fœminas introducere possit?</i></p> <p>9. <i>Verba L. 196. ff. de V S. examinantur, in qua ma-</i></p> | <p><i>ritus familiae Princeps vocatur.</i></p> <p>10. <i>Textus Authenticus hebraicus examinatur: An uxor sit loco servæ creata.</i></p> <p>11. <i>Textus singulariter obstands ex Num. cap. 30. v. 7. examinatur ei que respondeatur.</i></p> <p>12. <i>Cum rationibus saltim uxori imperandum est, cum non tantum uxor marito, sed & maritus uxori secundum ipsam sacram Scripturam reverentiam debeat.</i></p> <p>13. <i>Thesis fcti alias magni nominis, ejusque distinctio (1) in potestat. maritalem (2) Parentum (3) Dominicam rejicitur.</i></p> |
|--|--|

- | | |
|--|---|
| <p>14. <i>Hamburgensium statutum tamen expresse permittit eine mäßige Züchtigung über seine Haus-Frau.</i></p> <p>15. <i>Sententia Grimald. refutatur exemplis mulierum sanctissimarum & sententia Græcorum (qui mulieres simul domus salutem vocarunt) adjicitur.</i></p> <p>16. <i>Jus fœminas expellendi an vere fundatum sit & an ex potestate maritali fluat ut adulterantem juvenem occidat.</i></p> <p>17. <i>An Jus vindicandi injurias uxori illatas fluat ex potestate maritali? cum alias liberorum injurias vin-</i></p> | <p><i>dicare, ex potestate patria fluere videatur.</i></p> <p>18. <i>Dominium mariti itaque consistit in dominio leniori seu quod suadendo non absolute imperando exerceri debet.</i></p> <p>19. <i>Uxor ipsius dignitatis mariti particeps est.</i></p> <p>20. <i>Maritus invita uxore monasterium ingredi, castitatemque Deo vovere nequit.</i></p> <p>21. <i>Doctrina Apostolica in honorandis uxoribus cum comminatione: quod alias preces virorum eorum, coram Deo interrumpantur.</i></p> |
|--|---|

CAP. II.

De Jure & Rationibus quod potestas maritalis sit thesis juri incognita.

I. **R**ationes in contrarium allegatæ continent multas arduas, nihil tamen commovent: quod potestatem maritalem in jure, fundatam concurrere, statuere queamus. Jure civili enim saltim inter veras potestates cognita est potestas patria & dominica. **NON MARITALIS**: quippe quam & illustr. Lib. Baro de Cocc.

de Cocc. in Hypomn. Inst. T. d. his qui sui vel alieni juris ibidem observavit atque verba: non maritali, huic distinctioni subjecit.

Idque ipsum verbum *Domina* subinnuit, domi- 2.
nus enim & domina simul dominantur in matrimonio (licet non simul dominantur in imperio) suntq; hi duo maritus & uxor quasi una caro. *Genes. c. 2. in f. add. L. 41. d. LL. §. 3.* Ipse Jctus quoque in definienda potestate in *L. 215. ff. de V. S.* sequentia solum verba facit.

Potestatis verbo plura significantur in *persona liberorum* patria potestas in *persona servi* dominium. Sed 3.
de potestate in uxorem nullibi mentionem singularis potestatis præeminentis fecit, ita ut veræ potestati congruat. Imo nec talis, qualis potestas reperitur in tutore & curatore. Potestatem parentum quod atti- 4.
net: ea omnino in jure civili fundata, cum & ipsa natura hos Dios visibiles venerari iisque obedire injunxit. Cum vero hæc potestas sit talis domestica potestas, quæ cum potestate putativa in uxorem maxime convenire debeat Ergo potestatem patriam ceu speculum adhibebimus atque ex illa potestatem maritalem non fluere, demonstrabimus; Supra in *Capite 1. n. 7.* enim de patriæ potestate dicebatur: quod vi hujus privatæ patriæ potestatis Jure Romano competierit *Jus vitæ & necis in liberos.* In conjugem vero nunquam hæc potestas competiit, ita ut nec peccantem conjugem, absurdissimam v. g. adulterantem interficere liceret. *supra cap. 1. num. 16.* cum tamen liberos interficere liceret. (2) Permittebatur patri ceu domino filii eminenti, *filium premente fame vendere*, non ita licebat

bat uxorem vendere. (3) Porro debitum a filio in potestate existente contractum, pp. *Except. Scti Maced.* valide petere creditor non poterat; Debitum ab uxore contractum vero uxor solvere tenetur, atque vi potestatis marito competentis, non datur juris medium speciale, ac si totum debitum improbatum esset: licet in præjudicium dotis, cujus *dominium civile* in marito n. translatum, uxor valide disponere nequeat. Licet (4) quoad lucra acquisita aliquo modo convenientia appareat, ita ut uxor ea sibi non acquirat, quæ auxilio ejus maritus lucravit; tamen & hoc singulare occurrit; siquidem ea, quæ præter operas ad officium mariti pertinent, sibi ipsi quoque acquirat, nec postea hæc singularia conferre tenetur, dum viro in uxorem *jus servitii* non competat, licet *jus Auxilii* competat *Carpz. P. 2. const. 25. def. 15. n. 5. L. 196. ff. de V. S.*

5. Supra cap. i. num. 9. allegata quid attinet, in quo maritus princeps & dominus familiæ appellatur, illa per se quidem vera sunt, sed in mariti familia huic principi ita vocato, tale dominium eminens non tribuitur, ut inde *potestas maritalis* ceu dominica in ipsam uxorem concedatur. Hinc in ipsa *L. 24. §. 1. ff. soluto matrim.* (ex qua vir alias perillustis & Jctus magni nominis *Nicolaus Beckmannus* elicit: quod marito liceat uxorem petulantem vel peccantem castigare) de hac potestate castigandi uxores, nec unicum verbum in *d. L.* extat. Sed agit *d. §. de servis dotalibus*, in quos si maritus nimis sævus fuerit, etiamsi in proprios servos suos sæviat, tamen immoderata domini sævitia coercenda sit. Tandemque à d. Jcto allegata *L. 1. C. de emendat. propinq.* in qua jus domesticæ emendationis
- nis

nis permittitur, per se nihil probat, quia jus potestatem maritalem hactenus non constituit, ipsiusque L. principium agit *de minoribus*, quos propinqui seniores corrigere debent, iisque tamdiu hoc licere in *d. L.* proponitur, donec ultionem judicialem facti atrocitas exigat. Magis tamen obstabit *Nov. 117. Cap. 14.* quam alii DD. & *B. Stryk* allegant, quippe in qua potestas maritalis fundamentum aliquod habere videtur: Quia ipsa Jcti rubrica ita concepta: *si quis uxorem suam flagellis castigaverit.* adeoque licentiam & potestatem castigandi inde præsupponi apparet. Sed & ipsa *Nov.* pœnam marito dicit, ita ut maritus uxori, quam flagellis cæcidit, ex sua substantia etiam constante ipso matrimonio tantam summam loco pœnæ solvere debeat, quantam tertia pars Antenuptialis largitatis constituit; Si causa ipsa scil. non fuerit ejus ponderis, ut solutio matrimonii inde peti possit.

Eo ipso tamen hoc obstaculum remanere videtur: 7.
 Quod cum saltim fustibus uxorem cædere in *d. Nov.* prohibitum sit; E. Aliqua minor castigatio, quæ sine fustibus & flagellis fit, hâc ratione in uxorem permessa videtur, siquidem ille modus saltim ceu servilis in *d. Nov.* prohibitus, quia flagellis cædi injuria est *p. L. 11. §. 7. ff. d. injur.* sed eo ipso potius dicam argumentandum esse: quod si causa & delicto tali occurrente, ob quod divortium fieri potest, marito non sit licentia, ut flagellis uxorem cædat, multo minus licentia erit ob leviora delicta eam verberibus excipere: Nec stante prohibitione flagellorum, inde conceditur alius modus verberandi vel pulsandi.

Et tandem posito, sed non concesso quod uxori 8.
 C alapas

alapas dare liceret, tamen hoc non flueret *ex potestate maritali* ceu medio juri cognito & marito adjudicato: sed connivere solet hac in parte magistratus soli viro qui non uxori sed Xantippe associatus est, ad pacem domesticam magis stabiliendam, nec hujus causa actore deficiente ipse inquirat, quia insuper injuria delictum privatum est. *pr. f. Tit. d. injur.* Cum vero actio instituatur, omnino secundum LL. & hanc causam terminare debet. Hinc & reliqua quæ ex laudato *Nic. Beckm. supr. cap. 1. num. 10.* allegato vidimus, ceu verba sine L. attendere possumus, cum ea verbera, quæ in foeminam nimis iracundam aut plane Xantippen redivivam illata, matronis & foeminis honestioribus adeo præjudicare nequit, ut in eas potestas juris & maritalis, inde introduceretur.

9. Illa vero quæ *B. Carpz. sub n. 11. Cap. 1.* allegavit, ea quatenus maritus princeps familiae dicitur, toleramus; cum *L. 196. ff. d. V. S.* hoc titulo virum macret: Sed quod eminentis potestas atque ideo in uxorem licita castigatio competat, inde non probatur: hinc & ipsa verba, quæ *Carpz. in P. 2. c. 13. D. 5.* profert: quod mulier in potestatem & tutelam mariti statim post nuptias transeat, ea quoque intelligo secundum Jus Saxonicum, ubi maritus Titulum eines ehelichen Vormundes adeo consequitur; ut statim post thori conjug. ingressum, Curatoris officio fungatur *d. l. & P. 3. c. 20. def. 43.* indeque speciem potestatis eminentis Jure communi per se competentis, proponere non voluisse censeo. Sed potestatem ibidem ceu licentiam defensionis intelligo, proper verba subsequencia, in specie per verbum: *& tutelam*; vocatur enim in sensu pla-

su plane latiori tutela & Curatela in Institutionibus
vis ac potestas : Sed potestati dominicæ *in servum*, adjun-
 gere potestatem *in uxorem*, juri plane non congruit.

Textum Hebraicum quod attinet, quem quidam 10.
 DD. Philosophiæ, ita ut supra dictum explicare co-
 nati, nihil facit, siquidem vox לְבַדָּה *solum* ceu solitu-
 dinem denotat, nec officit licet ita se habeat, quod à
 verbo עֶבֶד servus, derivata sit, tamen derivationes ver-
 borum ceu lusus ingeniorum thesin ritè non demon-
 strant, sicut nec in jure juvat, an Lex à *legendo* vel à
ligando derivata sit? derivatio enim nihil prodest, sed
 effectus in verbo denotatus saltim respiciendus.

Maxime tamen obstabunt ea quæ supra in *cap. 1. 11.*
num. 12. proposuimus: cum ex *Num. cap. 30. v. 7.* constet:
 quod sicut patris consensum ad votum filii Deus de-
 sideraverit, ita & consensum mariti ad votum fœmi-
 næ uxoris, ceu requisitum necessarium concurrere
 Deus voluerit, aliàs votum sine effectu reliquerit: At-
 que in hoc exemplo potestatem patriam juri maritali
 Deus ipse æquaverit. Insuper dominium mariti ex
 verbo hebraico וְהוּ יִמְשַׁל בְּךָ & ille dominabitur tibi,
 pateat. Ast consensum mariti ad votum fœminæ ne-
 cessarium requisitum esse, exinde apparet, cum ali-
 as uxor Deo castitatem invito marito atque in ejus
 æmulationem vovere, atque sic matrimonium tur-
 bare potuisset. Ne itaque talis potestas & refugium
 fœminæ pateat, ad dissolvendum ipsum matrimoni-
 um aut alia absurda ex imbecillitate quadam fœmi-
 nina ceu votum Deo promittat : Ergo consensum
 mariti Deus cum causa exegit : inde tamen potesta-
 tem plane dominantem non constituit. Imo prolixi-

ora alia responsa, quæ adjicere possemus, ad obstaculum illud magis infringendum, non indiget: quia ex tali concessione, domini cum potestate imperativa conjuncti, concessio non apparet: Multo minus exinde fluit: quod uxorem verberare vel pulsare res licita sit: nostra thesis autem fuit, quod potestas maritalis ceu potestas juris, juri civili haud cognita; adeoque in sensu juris civilis plane vera potestas juridica non concurrat: imo verbum *הָוּוּ* dominabitur, non præcise denotat, Er soll dein Herr seyn/ sed factum aliquod saltim denotare potest: daß Er werde über dich herschen/ sed posito Er soll es seyn/ id enim nemo negabit, dominium mariti eminere in familia, cum ipse maritus sit dominus, uxor vero est ipsa simul domina & socia. Imo licet ante natum Christum mulieres cum viris templū intrare non possent, Tamen postquam mulier, sicut olim *instrumentum peccati*, ita & postea *instrumentum salutis* facta, & ipsum Salvatorem sola mulier citra masculum progenuit: Hoc facto Apostolus Paulus in *Epist. ad Gal. c. 3.* ita loquitur daß nunmehr kein Mann noch Weib Jude oder Griechische / sondern sie sind alle einer in Christo *conf. in fin. n. 18. in med.* multo magis itaque post regenerationem uxor attendenda ut condolina verbum: *dominabitur*, enim post lapsum saltim à Deo propositum, quia in statu creationis non ita erat. Alia itaq; occurrunt monita in noviori Testam. *de quib; seq. n. 12.* Cum mulieres ut uxores & socias non modo creavit, sed & diligere atque cum ratione illis cohibere præcepit Apostolus P. Nullibi vero in Nov. Testam. extat, quod uxor vi potestatis ver-

ver-

verberibus afficienda sit, cum tamen potestatis jure in liberos, verbera & monitiones duras, *ceu necessarium* requisitum literæ sacræ proponunt atque verbera in liberis exigunt, hoc vero nullibi exigunt in muliere, nec eo tempore cum Messias nondum à muliere editus; licet in Sacris malæ mulieres eo tempore pejores liberis imo pejores bestiis describerentur: imo licet *Eccl. c. 25.* dicat: *quod commorari leoni & draconi placeat quam habitare cum muliere nequam;* Tamen nullibi dicit: quod uxorem inobedientem talem, vir vi potestatis pro lubitu verberibus excipere eamque in carcerem aut Ergastulum vel in alium pænæ locum detrudere possit. E. si 12. quod est maritale dominium, illud in ratione potius consistat; quo mulier verbis & rationibus convicta à proposito sue interdum inidoneo absteineat. Et ipsa sacra scriptura in *Ep. Paul. ad Corynth. cap. 7. v. 3.* dicit, *quod vir NB. similiter reverentiam debeat uxori & v. 4. vir proprium corpus non habeat in potestate, sed uxor;* adeoque nec ex sacra scriptura potestas multo minus jus verberibus uxorem castigandi apparet, sed quatenus subjectionem à foemina dictus Apostolus contendit eam saltim adhortando non cum jure potestatis vel imperio constituit. *conf. infra n. 21.*

Distinctionem Jcti Calvinii quod attinet: quam in 13. *cap. 1. n. 13.* allegavimus, qui expresse *ibid. potestatem* (1) in *Maritalem* (2) *Patriam* & (3) *Dominicam* distinxe- rat, ille Jctus non fuit autoritate præditus LL. novas condendi, nec condere voluit: cum vero hac in parte sine lege locutus, quippe sine qua privatum jus statuere dedecet; hinc Jcti hujus meditationes abs-

que fundamento LL. licite in hac parte si rejecerimus, nemo delicti nos reos judicare valebit. Sententia *Nicolai Beckm.* ibidem n. 13. occurrens, ejusdem farinae, nec solutione aliqua specialiori indigebit.

14. Statutum Hamburgense equidem *P. 4. art. 48. quod B. Strykius in Diss. de alapa* allegat, permittit eine māßsige Züchtigung über seine Hauß-Frau / sed LL. ab hoc viro excellentissimo allegatae nihil hac de re ad jus commune faciente probant. E. juri Hamburgico hanc facultatem relinquimus: mihi videtur in baculi medicina in uxore adhibenda idem fieri medicamen, quale in effectu est medicamen illorum medicorum, qui in febris acuto aut in varis vel morbillis, refrigerantia nimia atque lactantia loco medicinae corpori obstructo adjudicant, qua ratione morbus varorum & morbillorum finem suum contendere nequit; adeoque haec medicina alias non contemnenda, h. c. nihilominus epilepsiam continuam atque mortem ipsam, non sanitatem promovere solet. sola ratio medicinae adhibendae enim facit Medicum felicem & medicinam bonam ut bona maneat. In gubernatione foeminae ipsa prudentia quoque majorem effectum habet, quam medicina baculi, quippe quae a viris maxime rationabilibus adhiberi rationabiliter non solet.

15. Sententiae Gribaldi, quam *sub cap. 1. num. 18.* citavimus, eò minus subscribere possumus, cum rationi & vitae ipsisque LL. pro se citatis adversetur: nam in *L. 19. fid. ritu nupt. § L. fin. C. d. naturalibus liberis* nihil extat; quod opinionem tam frivolam confirmaret. Dictae theses illorum virorum, qui omnes foeminas
ma-

malas judicaverunt; aut ignoraverunt aut non recordati sunt mulierum veteris testamenti, aut aliarum in historiis allegatarum. *confer. itaque Lib. Jos. cap. 2. v. 1. 4. 1. Regum. c. 3. v. 26.* & in novo testamento *Mariæ* Matris Salvatoris mundi, *Mariæ Jacobi & Marci*, item *Salomæ Lydiæ*. aliarumque. Ipsi Ethnici id cognoverunt, dum in græcis comicis antiquissimis dixerunt:

γυνή γάρ ὄμω πῆμα καὶ σωτηρία

Mulier enim domus exitium & salus est

adeoque omnes & singulas mulieres & in specie quoque christianas omnes malas statuere, res absurdissima foret.

Potestatem maritorum tandemque in Jure civili concurrere videbatur, in vindicta & potestate privata, cum uxor privata autoritate e domo expelli possit, uti existimat *Mantica* atque talem *Glossam* vere existisse asserat *in c. 1. num. 16. supra citato.* Ast licet & hæc vera sint, quod talis glossa existiterit; tamen Glossatoribus potestas LL. ferendi data non est, hinc nec talis commentatio nobis persuadebit: *in jure potestatem maritalem* fundatam esse, aperto quoque contrariatur *jus Canonicum*, & talem maritum uxorem severè castigantem tyrannidem vocat *cap. 1. x. d. his quæ vi metusque causa fiant.* Et licet delictum uxoricidii in causa adulterii tantummodo relegationem mereatur, tamen id non fuit *ex jure potestatis maritalis*, sicut enim in vaso jura connivent, qui ex necessaria defensione alterum interfecit, adeoque saltim pœnam aliquam leviozem pro ratione circumstantiarum adjudicaverunt, quia in defensione licita fuit: ita & hic loci, Jura aliquo modo marito connivere videntur, in

L. 24.

L. 24 ff. d. adulteriis. & L. 4. C. d. t. dum existimarunt: tali facto viros nimis & licite quasi exacerbari, ita ut vix imputari possit, si hujus intuitu quasi ab alienationem mentis patiantur, atque factum infectum inter homicidia, quæ poena mortis vel alia gravissimâ digna essent, non judicent, & licet è contrario uxori non permittatur maritum adulterantem ita punire, tamen hoc non stringit: siquidem de jure antiquo sola uxor violationem thori pati poterat: non maritus.

17. Injuriam quod attinet, quam maritus ipse vindicare potest, de qua in num. 17. cap. 1. mentio facta, illud jus vindicandi non fuit ex potestate maritali, sed ex vinculo fortissimo, quod inter conjuges se exerit, & licet uxor injuriam marito illatam vindicare non possit, sed saltim maritus uxoris injuriam simul vindicet, tamen nec hoc jus ex potestate maritali concessum, sed ratio in aliis locis superaddita: Quia scilicet iniquum esset viros ab uxoribus defendi, cum æquitas in contrarium hoc exigeret: ut uxores defenderentur a viris.

18. Ex dictis itaque elucebit: quod dominium mariti, quatenus in sacris Bibliis & in textibus juris titulum dominii recipit, sit dominium lenius, ubi quidem caput reliquis membris corporis eminenter præest, tamen uxor, quasi cor mariti ceu aliud membrum corporis uniti, ceu itidem membrum simul principale eminent, consideranda, adeoque in Sacris cum marito una caro dicitur, cum uti diximus, ea simul sustineat vices membri principalis & dominantis. Imperium domesticum mariti vero quod si habeat, id
magis

magis per rationem quam per vim flagellorum dirigendum, per rationem enim potissimum ei imperet; Cum vero uxor obedire nolit, contra eam maritus Actiones instituere valet: Ipse vero eam propria au- 19. thoritate verberare & castigare vi potestatis in jure ei traditæ, non valet. Sed *L. 8. §. 2. C. de Repud. & Nov. 22. iap. 15. §. 1. in fin.* licentiam repudii, uxori verberatæ ideo dedit. Ex dicta *L. 8. & Nov. 22.* itaque nostra thesis in Jure satis fundata: reliqua autem quæ supra *in num. 18. cap. 1.* allegata, illorum Doctorum opinio parum obstabit, siquidem & illi DD. confiteri necessum habent: Quod & ipse maritus extra ordinem teneatur, si rigorosum se exhibeat, Et cum argumentum *L. 8. in f. C. de nupt. & Nov. 105. c. 2.* consideremus ubi uxorem radiis mariti radicare, aut coruscare dicitur, virique dignitatem & nobilitatem uxori quoque competere dicitur, licet plebeja ante fuerit: per *L. 8. ff. de Senator. L. 13. C. de dignitat.* Cognoscimus, maritum illum, qui uxorem suam verberat vel pulsat, peccare contra proprium suum corpus. Ipsa castigatio enim adhiberi saltim potest in personis nobis subjectis; in *dd. LL.* autem refertur, uxorem frui dignitate sui mariti i. e. & per Conjugium illi æqualem evadere: cum itaque eandem dignitatem habeat, potestas juris, quæ alias digniori in indigniorem confertur, competere nequit, licet reverentiam marito seu domino aliquo modo eminentiori in familia debeat. per *L. 4. ff. soluto matrimonio*, multis personis enim debemus reverentiam, qui tamen nobis non imperant, ut v. g. gener socero &c. imo *Paulus* adhortatur viros ipsos, ut mulieribus suis reve-

D

mari-

20. rentiam exhibeant, ex quibus tamen non fluit, *quod uxor imperare debeat marito.* Porro in *Capit. 3. x. d. convers. conjugator* dicitur: quod & uxor in maritum potestatem habeat, quia nec marito permittatur invitâ uxore DEO castitatem vovere atqua monasterium ingredi, sed uxor maritum repetere valeat, quippe qui ad uxorem redire cogendus ex dictis autem **POTESTATEM MULIEBRËM IN MARITOS** statuere absurdum foret *conf. itaque præced. num. 12. in fin.*

21. Insuper notanter admonet *Apostolus* omnes maritos *1. Petr. 3. v. 7.* ubi monet: *ut mulieres ceu vasa infirmiora viri honorent, ne preces eorum coram DEO interrumpantur.* Negari autem non potest, quod verberando & pullando nullos honores sed injurias mulieribus inferant. Ergo & *Harpr. ad §. 11. Inst. d. injur. num. 24.* cum ratione optima scribit: dum periculosum & turpe judicat uxores verberibus afficere. Adeoque dum Deus nobis Con-Dominam & sociam non ancillam vel servam adjunxit, nemo male interpretabitur: quod tanto Jurisconsultorum numero nostra dissertatio contradixerit, nec credet nos injustè fecisse; quod *maritalem potestatem* ceu thesin Juri incognitam rejecerimus: imo licet quidam benevolorum lectorum cogitet sicuti *Plutarchus* qui dixit: *neminem sentire quâ parte stringat calceus, nisi qui indutus est, atque ita nemo noscat ingenium mulieris nisi qui uxorem duxit,* tamen ignoscat quæsumus, cum verum fundamentum ejus veræ potestatis nullo jure vere invenerimus: adeoque tali *Plutarcho* exoptamus bonum rei uxoriæ exitum, sicut & nos præsentem dissertationem jam perducimus ad exitum &

F I N E M.

COROL.

COROLLARIA.

Usuræ debentur interdum *absque promissione* usurarum & *absque mora* solvendi. *Obstat.* quod usuræ *saltim ex conventionem & ex mora* debeantur. *vid. L. 30. ff. de usuris. it. L. 3. C. d. t.*

Donatio M. C. fieri quoque potest per nuncium & Epistolam. *Obst. L. 38. de M. C. donat.*

Fratres ex tribus saltim causis exheredari posse, falsum est. *Obst. communis DD. dissensus.*

Nutu pacisci & ut plurimum; contrahere possumus, licet stipulatio nutu fieri nequeat. *Obst. L. 2. de Verb. obl.*



